



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Francisci Arias, Societatis Iesv Theologi, Tractatus Tres spirituales

Arias, Francisco

Coloniae, 1615

8. Quomodo facta quædam Sanctorum, quibus vel mysterium inest, vel Dei peculiari instinctu contingere, intelligenda sint.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48767](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48767)

que continua asperitate, & quotidiana corporis vsq; ad sanguinem non semel repetita diuerberatione, & in perfrigidum profluëtem demersione afflixit, vt hoc melius ad profundendum pro Christo sanguinem se compararet. Atq; hęc vitam duxit, postquam Deus eũ potenti sua dextera in alterum virum, & verum athletam suum, posthabitis omnibus seculi vanitatibus, conuertit.

CAPVT VIII.

Quomodo intelligenda sint exempla quedam, quibus inest mysterium, vel que speciali Dei instinctu accidere.

IN vitis SS. illud quoq; non præmittendum est, nonnullis eorum factis dictisve inesse aliquod mysteriũ & ideò non ad consuetam normam cõmunis vitæ SS. cæterorum, sed ad peculiarem diuinæ inspirationis prouidentięq; particularis regulã esse expendenda. Quò pertinet, quod S Paulus principi Sacerdotũ dixit: nec enim fuit maledictio, vel contumelia, sed prophetia: plenus siquidẽ Spiritu S. inquit B Gregor. prædixit, qualis esset futurus. Nec enim dixit, *Percutiat Deus*, sed *Percutiet*. Prædicebat autem, vt annotauit Venerabilis Beda, Sacerdotium Israeliticum, q̄ tum

Bb 5 erat

Ab. 23.

Lib. 7. mor.

c. 22.

erat instar parietis dealbati, & apparebat quale non erat, prædicatione Euangelij funditus euertendam. Deinde congruebat, vt dicit S. Chryfosto. Paulum in illo congressu eam dicendi libertatem & auctoritatem ostendere, vt gētiles, qui præsentés aderant, non parui facerent Euangelij prædicationem.

Diffensio inter B. Paulum & Barnabā non orta est ex animorum perturbatione, sed ex magna S. Barnabæ pietate, iudicantis non esse à sua societate auellendum Marcum consobrinum propter defectum, in quem ex humano metu inciderat. S. Paulus verò sanctissimo iustitiæ zelo accensus ad maiore Dei gloriā, ipsiusq; Marci documentum, & aliorū, putauit separationem faciendam. Vbi diuina prouidentia factum est, vt Barnabas ob maius Ecclesie bonum iudicio B. Pauli non subscriberet, eo quod singulis cum comite suo digressis vberior fructus in conuersione animarum erat secuturus. Nec aliud opus est respondere de Epiphanio & Chryfostomo: nā Epiphanius iudicabat condēnanda scripta Origenis, Chryfostomus verò arbitrabatur id in sua diocesi non faciendum, nisi antegresso examine. Vterq; autem grauimouebatur pro sua sententia rationib⁹.

la-

Interea Deus S. Epiphanio diuinitus reuelat exiliū, mortemq; S. Chrysoſtomi, & contra, S. Chrysoſtomo mortem S. Epiphaniij. Quas reuelationes verbis anteprolatis ſibi mutuò patefecerūt, quod facere ſalua caritate potuerūt, & ſalua veritate fecerunt, quia vtrumque euenit.

Reſponſa à Prophetis facta impijs regibus Iſrael, hoc continent myſterium. Sancti corde ſic inherabant cęlo, omnibusq; rebus mundi erant ſuperiores, vt nullius reformidarent potentiā, nullos aucuparētur honores, vni peccato vitando intenti, & diuinę promouendę glorię. Hoc cor volebat Deus detegi agēdo cum tyrannis, eorumque ſcelera ſancta quadā libertate mirabiliq; iuſtitię zelo coarguēdo. Qua de re ita ſcribit B. Gregorius. *Sācti, inquiens, ſuper ſe interim rapti, in alto animum figunt: & quęq; in hac vita patiuntur, quaſi longē infra labentia, atq; à ſe aliena conſpiciunt, atq; vt ita dixerim, dum mente extra carnē fieri decertant, penē ipſa, quę tolerant, ignorant. Vnde & nullis contra veritatem poteſtatib. parcunt, ſed quos attolli per elationē cōſpiciunt, per ſpiritus autoritatē premunt.* Hinc nata ſunt omnia Prophetarum & Martyrum verba contra tyrannos prolata, nō autem ex ſuperbia, quia erant humillimi, non ex ira, qua man-

Lib. 7. mor.

c. 22.

fuetissimi, non ex rancore, quia parati erant vitam pro illis profunderē, sed ex Dei inspiratione, qui opera illorum volebat superbos huius mundi reprehēdere, inuictumq; robur Sāctorum suorum patefacere, quo fulti, ne fœminæ quidē tenellæ atrocissima eorum tormenta, mortemq; ipsam pertimescebant.

Quæret hoc loco aliquis, cū verba huiusmodi geminum sensum habere queant, vt vel ex contemptu prolata putentur, quod est impatientiæ, vel elationis, vel ex zelo iustitiæ, quod est magni in Deū amoris: vnde cognosci possit ex bona radice profecta? Respondet eodem loco B Greg. *Quod zelo veritatis, non autem vitio elationis sancti viri ad verba tantæ altitudinis exiliant, ipsi patenter indicant, qui factis dictisq; alijs & quanta humilitate polleant & erga eos, quos redarguunt, quanta caritate feruent, manifestant. Quomodo enim Elias superbo regi Achab increpationis verba per tumorem inulit, qui ante eius currum humiliter cucurrit: Quomodo Eliseus Ioram filiū Achab ex arrogātia confudit, dicens: Quid mihi & tibi est: Vade ad Prophetas patris tui, & matris tuæ: quomodo videre Naaman ex elatione noluit, dū nec ianuam aduenienti aperuit, qui non solū se cōspici, sed teneri etiā à muliere pmissi: de qua scriptū est. Cū venisset ad virū Dei*

Cap 23.

3. Reg. 18.

4. Reg. 3. & 5.

Dei in montem, apprehendit pedes eius, & accessit Giezi, vt amoueret eam. Ait vir Dei: Dimitte eam: anima enim eius in amaritudine est. Quomodo S. Stephanus proferre increpationem, dum vocaret duros & incircumcisos corde, per elationem potuit: qui pro eisdem, quos increpauerat, ad deteriora crescentibus, seq; lapidantibus flexis genibus orauit, dicēs: Domine ne statuas illis hoc peccatum? Idem Act. 7. fecere martyres alij: nam pro carnificibus, tortoribusq; suis in ipsis cruciatibus Deum precabantur, vnde & multos eorum conuersos legimus. Quare liberiores eorum voces iactate in reges & pre-fides, non ex animi fastu, sed ex puro amore & zelo tuende veritatis procedebant. Nam vt dicit Beat. Gregorius ibidem. *Superbia odium generat, humilitas l. 7. c. 23. amorem.*

Veniamus nunc ad alia exempla, quæ in vitis Sanctorum exstant, non ab omnibus imitanda, vt quæ ex singulari Spiritu sancti instinctu facta sunt, vt quod quidam in vastissimas solitudines se abdiderint, ab omnium hominum consuetudine disiuncti, quod nudi in syluis oberrarint, solis herbarum radicibus victitarint, omni cibo potuque plures dies, hebdomadas, menses, integras Quadragesimas abstinerint, stultos & qua-

si emotæ mentis, vt Simeon Salus, se
finxerint, & alia id genus egerint. Hæc,
inquam, miranda potius, quàm imitã-
da sunt. Imitanda siquidem nobis in-
cumbunt ea exempla virtutum tãrum,
in quibus omnes Sancti vniformiter
consenserunt. Hæc enim sola, pro re-
gula certa & securâ piorum morum,
vitæq; sanctæ nobis Ecclesia proponit.
Deprehendimus autem in Sanctorum
historijs, quod communiter omnes a-
mãrunt exercuerintque paupertatem,
opes abiecerint, & defugerint dignita-
tes, honores, & nominis existimatio-
nem, omnes mansuetissimi fuerint in
tolerandis iniurijs, & inimicis benefi-
cio & amore deuinciendis, quod ad-
modum temperantes in cibo & potu
fuerint, & magna ieiunia sustinuerint,
commoda deliciasque carnis contem-
pserint, cilicijs & flagris crebris, alijsq;
asperitatibus eam perdomuerint, sum-
mum studium curamque in cohiben-
dis sensibus, maximè autem frenanda
per silentium, lingua posuerint, quod
amantissimi diurnarum nocturnarum-
que precum, & contemplationum cœ-
lestium, otij osores, laborum & tribula-
tionum amatores, quod colloquia va-
na & inutilia detestati fuerint, summã
autem

autem voluptatem ceperint ex collationibus rerum diuinarum, quod aliorum prosperis successibus, ex animo gratulati fuerint, aduersis verò compassi, omnemque operam locarint in remouendis, vel certè mitigandis afflictorum ærumnis, quod libenter obsecuti fuerint maioribus, omnium pedibus se subiecerint, & ab omnibus hominibus contemni, & ludibrio haberi, salua Dei gloria, optarint. Hi mores, hæc exempla communia & ordinaria omnium Sanctorum fuere: quæ si imitari conabimur, non dubium, quin imitaturi simus Christum illorum omnium magistrum, ducem, & antesignanum, participesque vna cum ipso Christo red-demur gloriæ, qua illi iam securissimè, & in omnem æternitatem perfruuntur.

CAPVT XI.

*De nonnullis medijs, quibus vinci potest
difficultas, quæ est in exercitio
mortificationis.*

Mortificationis exercitiū nulla ferè alia re impeditur, quam difficultate, & afflictione, quæ ipsa mortificatio secum affert. Nam, cum virtus ipsa spinis difficultatum

rum